





001 931 408

ULB Halle

3

VD 18



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

NATURALI AC PRÆ-
TERNATURALI MEN-
STRVI VENTRICVLI
CONSTITVTIONE

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

Ad d. Octobr. Anni M DCC XXXVI.

PVBLICE ERVDITORVM

EXAMINI SVMMITTET

AVCTOR ET RESPONDENS

GOTTLIEB PÛRSCHEL

VRATISLAVIENSIS

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

26

~~1775~~

1736


13

[Red stamp]

ne.

166.





Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

NATURALI AC PRÆTERNATURALI MENSTRUI VENTRICULI
CONSTITVTIONE.

§. I.



Liquoris gastrici seu Menstrui ventriculi naturam, usum, & varios corruptionis modos explicaturus, actum quidem agere, atque Iliada, quod ajunt, post Homerum mihi canere videor; Attamen quum Dissertationis Inauguralis argumentum mihi necessario eligendum esset, hoc ipsum certis de causis denuo placuit, atque dignum visum fuit, in quo secundum statum *rectum & obliquum* enucleando vires meas explorarem: præsertim cum Autores Medici de natura hujus liquoris ad alimentorum digestionem summe necessarii, & frequentissimæ, si corrumpitur, multarum ægritudinum causæ, nondum perfecte consentiant, sed novæ identidem de eodem indagantibus suboriantur opiniones. Ne autem rem per transfennam intuear, quælibet ad tractationem hujus argumenti necessaria seorsim ac dilucide proponere allaborabo.

§. II.

Menstruum a Chemicis dicitur fluidum quodcumque

A 2

sol-

solvendi virtute præditum: quare cum liquor gastricus, seu illa humiditas, quæ in ventriculis animantium jejunis solitaria, in repletis vero cum alimentis mixta reperitur, & ab aliis quoque *Fermentum stomachale* vocatur, eandem respectu alimentorum virtutem obtineat, a Medicis quoque per sæpe menstrui nomine insignitur.

§. III.

Testantibus Anatomicis & Physiologis, atque maxime suffragante experientia, accuratiori inquisitioni innixa, hoc liquidum primario secernitur ex sanguine per glandulas peculiare, quæ in tunica ventriculi nervea hinc inde numerosissime hærent, & maxime, notante Morgagno *a)*, prope pylori antrum conspicuæ sunt. Ex hisce inquam glandulis, osculis suis excretoriis per tunicam interiorem villosam in ventriculi cavitatem hiantibus excernitur, & deinceps in ventriculo colligitur, ut usus, postea recensendos, quoties necessarium est, præstare valeat. Præteritis quidem temporibus Medicorum plurimi alias fovebant sententias & liquorem laudatum vel ex intestinis cum Horstio *b)*, vel e liene cum Græcis, Arabibus atque Helmontio *c)* ad ventriculum deferri statuebant: Verum postquam anatomia magis exulta fuit, prudentiores & in indagando accuratiores satis superque demonstrarunt, hodiernam sententiam veram, reliquas vero memoratas obsoletas ac falsas esse, nec ullam nostræ ætate mereri adfensum.

§. IV.

Notabiliter laudatus liquor gastricus augetur quoad
quan-

a) Vid ejusdem. Advers. anatom. III. p. 6. Conf. Santorini. in Observ. anatom. p. 164.

b) Vid. Minud. ad Medic. P. I. Sect. 3. Com. ad S. 4^o

c) L. de sextupl. digest. §. 29.

quantitatem per salivam & liquidum œsophageum, qui liquores continuo ferme, vel foli, vel, & quidem maxime, cum alimentis masticatis & deglutitis in ventriculum descendunt, quique respectu naturæ parum vel nihil a menstruo ventriculi prædicto discrepant. Idem quodammodo sentit *Illustris* noster HOFFMANNVS in *Dissertatione de Saliva, ejusdemque morbis d)* imo liquoris gastrici originem maxima ex parte salivæ, perenni fere flumine ad ventriculi cavitatem delatæ, tribuere videtur; Citato quippe loco scribit: *Maximus denique videtur usus nostræ salivæ, quem genuinum tanquam ventriculi menstruum ad coctionem, fermentationem & digestionem ciborum, uno verbo ad chylificationem confert. Equidem deridendi videntur plures scriptores fermentum ventriculi tam sollicitè quærentes, & salivam tali negotio veluti minus accommodam negligentes. Nimirum cum ipsam salivam sola masticatione quævis assumat antopere mutantem, & prima alterationis rudimenta ponentem, toto die notemus, quid quæso posset obstrare, quominus spirituosus ejusmodi liquor universum coctionis negotium absolvat? apprime cum in tanta præsto sit abundantia, ut non solum copiosissime cum cibis absorbeatur, verum etiam continuo fluxu deglutitis superingeratur.*

§. V.

Copiosius hæc liquida confluunt, quando post ciborum ingestionem motus peristalticus incrementa sumit, & adhuc magis, quando membranæ f. tunicæ nerveo-membranacæ, nec non glandulæ miliares ventriculi per acria, aromatica, salina aut venena fortius irritantur ac vellicantur: cujus phænomeni rationem alii in anima rationali, corporis salutis per copiosioris liquidi

A 3.

d) Cap. IV. §. 7.

di diluentis adfusionem prospicienti, alii vero, & quidem, ut mihi videtur, rectius in certo ventriculi, & glandularum mechanismo quærunt. Certum enim est, acriora & eminentius venena caustica fortius stimulare membranas, fortiori autem stimulo fortiolem succedere contractionem, eidemque deinde copiosorem liquidi ex glandulis ventriculi &c. compressis, etiam anima infca & nolente, excretionem. Haud negari denique poterit, quasdam chymi partes peracta digestionem relictas, interveniente levissima metamorphosi, mensruum naturam induere, & ad augendum illud concurrere, quod WALDSCHMIDIVS sequentibus quoque adfirmare videtur: *Nos, inquit, illud (mensruum scilicet) concipimus ceu vaporosum quoddam mixtum ex activis sanguinis particulis acidis & salinis nec non ex chyli reliquis, & ipsa saliva compositum, in ventriculo vacuo oberrans, agitatoria vi praeditum, & indolem sanguinis exprimens, cujus activitatem indole sua emulatur &c. e)*

§. VI.

Circa naturam & elementa hujus liquoris major adhuc dissensus deprehenditur, & gravis omnino, atque difficilis olim, imo omni deinceps tempore controversia a Medicis agitata fuit, ita ut innumerae ferme opiniones inde enatae fuerint. Siquidem alii eundem cum Bidloo *f)* mere aquosum, alii cum veterum plurimis, nec non cum Helmontio *g)* Tachenio *h)* Webero *i)* Boyleo

e) in Instit. medic. p. 16.

f) in Dissert. Anatomico-Physiol: Exercitationibus Anatomico-Chirurg. annexis.

g) loc. cit.

h) in Hippocrate Chym. p. 78.

i) in Anch. sacrae, sauciat. p. 59.

leo *k*) &c. *acidum*, alii cum Bohnio *l*) Ortlobio *m*) Majorio *n*) Geudero *o*) Brunnero *p*) aliisque *salsum*, aut cum Waldschmidio *q*) Mauritio Hoffmanno *r*) &c. *acido-salsum*, & alii denique *valde heterogeneum* ex diversissimis moleculis mixtum judicant. B. FASCHIVS enim *Professor olim lenensis*, ut de ultima opinione unicum saltem testimonium adferam, in *Propemptico Dissertationi Hoffsteteri inaugurali de Anorexia annexo*, sequentem in modum de liquore gastrico scribit: *Hec, calor nempe & menstruum ambo concurrere & conspirare in tantum naturæ opus debent, cum unum absque altero sufficere non valeat. Hoc autem non salinum, nec acidum tantum; sed insipidum ad sensum; non corrosivum, nec acre, sed in recessu hæc singula habens.*

§. VII.

Ego in præsentî, tædiosam evitaturus prolixitatem, singulas hæc opiniones non examinabo, sed eam tantummodo breviter indicabo, quæ mihi omnium probabilissima videtur. Paulo accuratius autem omnibus circumstantiis pensitatis, non possum non fateri, me cum illis sentire, qui liquorem gastricum in statu naturali *acido-salsum* judicant, & inter elementa ejus *aquam, sal medium tenerius, & aliquam principii sulphurei viscosi*, nec non *salis aciduli volatilis* portionem referunt. Aqua cum

k) V. Phil. nat. exp. P. 2. p. 59.

l) in Circul. anat. progymn. 6. p. 125.

m) Diss. anat. phys. §. II.

n) de Motu muscul. c. 5. p. 53.

o) de Ferment. Sect. 2. cap. 1. p. 68.

p) in Diatr. de lympha cap. 5. p. 88.

q) loc. cit.

r) in Comm. ad Hornii Microcosm. p. 78.

cum sale medio basin præbet, portio acidula volatilis vero hifce leviter immixta est, & ob volatilitatem ac subtilitatem in statu sano summa petit, & proinde ex parte in ventriculi cavitate tantum hinc inde oberrat.

§. VIII.

Elementa priora, aquam videlicet & sal medium cum tenui ac pauca viscositate sulphurea mixta, plurimos concessuros esse credo: Posterius vero scilicet sal acidulum volatile non pauci forsitan negabunt, aut tamen ad minimum dubiam de eo fovebunt sententiam. Adeoque ut & hujus existentia vindicetur, tum illustrandi, tum corroborandi sine aliquot experimenta, observationes, & celebrium scriptorum testimonia recensere necesse erit. Præ reliquis autem sequentia annotationem mereri videntur: 1) Menstruum ventriculi in stomachis animantium recens dissectorum gustu exploratum temperate salinum & paululum quoque acidulum deprehenditur. *In dissectorum animantium ventriculis, inquit WEBERVS s) mucus deprehenditur gustu acidus, huic si instilletur una vel altera guttula bilis ejusdem subiecti, vel alius spiritus urinosi volatilis, acidum cum salsa (alcalica) bilis substantia jungi effervescencia monstrabit.* 2) Lac mane jejuno ventriculo haustum, & illico per vomitum rejectum statim semicafatum observatur, & linguæ insuper acidus imprimitur sapor; 2) id quod frequentissime quoque in infantibus, quibus nutrices paulo ante ubera præbuerunt, observare licet. 3) Placentæ e farina, cum liquore gastrico vitulorum subacta paratæ, lac calidum, quan-

1) in Tractatu, cui Titulus: Anchora sacra sauciatorum p. 59.
2) Conf. Tachenius in Hipp. chym. p. 78.

quando frustra quædam eidem miscentur, in momento coagulant, & partem caseosam a fero separatam præcipitant, quod experimentum plebejis in Helvetia notissimum est. 4) Obuli minores incurvati (Zahl & Pfennige) annotante RIVINO *u*) a gallo gallinaceo Indico devorati, & cum stercorebus denuo redditi, ita in externa superficie attriti fuerunt, ut imago monetæ impressa tota fere oblitterata fuerit: Interior vero superficies, quod notandum est, atro colore tinctæ fuit. Probe quidem scio, B. RIVINVM hoc experimento aciditatem mensurari plane destruere allaborasse; ego vero eodem principii aciduli existentiam in ventriculo quodammodo probari posse existimo. Ab acidulo enim leviter arrodente nigredo illa, quam in superficie interiori observavit, pro meo iudicio derivanda erit. Cum hoc experimento quodammodo convenit, imo majorem lucem accendere videtur observatio BOYLEI, quam sequentibus narrat: *Multum, inquit, desudavi in investiganda stomachi aciditate, cui plurimi Neotericorum primam nutrimenti animalium digestionem adscribunt. Hunc in finem dissecavi stomachum piscis marini rapacis, in cujus cavitate duos pisces pedis longitudinem exæquantes inveni, quorum unus forte nuper deglutitus, nullam alterationem passus fuit, alter vero totus excepto capite, corrosus erat, & id non a concoctionis calore, cujus nullum manifestum signum aderat, quin potius a succo quodam corrosivo monetæ argenteæ aquæ fortis per tempus immixtæ ad instar contactus apparebat.* **)* 5)

Limatura martis, aliaque remedia martialia feces alvi-

B

nas

u) in Diff. de acido Ventriculi fermento, & DD. Teichmeyer. in Anthropol. p. 45.

**)* in Phil. nat. exp. P. 2. p. 19.

nas atro colore tingunt, & ructus nidorosi sulphurei, quales ab acido ferrum corrodeute exurgere solent, post martialium adsumptionem prorumpunt. E quibus omnino concludere licebit, martialia ab aciditate ventriculi paululum corrosa cum eadem in vitrioli speciem commutari. Vulgo quidem hic objicitur, acidum hoc præternaturale existere: attamen huic objectioni respondeo: Si acidum hoc semper præternaturale seu morbificum esset, sequeretur, quod rarissime homo sanus reperiri posset, quod tamen nemo forsân adfirmare audebit. 6) Medicamenta alcalicæ indolis nimium usurpata appetitum dejiunt, & digestionis vim debilitant; acidula contra utrumque restaurant, imo, si nimium acidi & quidem fixioris morbifici augmentum contingit, appetitus nimius, quam Bulimum vocant, oritur.

§. IX.

Plurimi nunc interrogabunt, unde hoc acidum suam trahat originem, & scire cupient: an una cum reliquis partibus secernatur ex glandulis miliaribus ac salivalibus: an aliunde adferatur? Respondeo: probabile est, paucillum simul cum reliquis elementis per glandulas e sanguine secerni, maximam tamen portionem alimentorum reliquiis, quæ majori accedente in ventriculo alteratione successive acidum volatile spirant, suos debere natales. Testem inter alios respectu asseriti posterioris hoc loco nominare licebit celeberrimum BERNHARDVM ALBINVM, qui in *Dissertatione de Fame Canina Francofurti ad Viadrum habita*, ita disserit: *Crediderim tamen, illud fermentum plus de acido participare, multa enim quotidie ingerimus, in quibus acidum delitescit: facile hoc mihi largieris, si panem, vina, cerevicias, omneque*
fere

fere condimenti genus, quo alimur, aqua lance expendas; si denique tecum reputes, non villis modo, sed rugis & sulcis nervosae tunicae interceptas chyli reliquias mora acescere, acidumque, quod jam dum secum advexit, magis exerere, latiusque propagare. y)

§. X.

Ex haecenus recensitis, me judicante, liquido constabit, liquorem gastricum, praeter sal medium, aliquam quoque principii aciduli portionem continere, quod in statu naturali atque perfecte sano nec crassum, nec viscidum, sed temperatum, subtile, atque volatile existere debet. Quod si enim idem nimium augetur, aut fixius redditur, morbificum audit, & foecunda multorum morborum mater evadit.

§. XI.

Natura liquoris gastrici paululum evoluta, ordo memet ad contemplationem usus ducit, quem duplicem esse, & partim digestionem partim appetitum respicere atque concernere deprehendimus. Quod primam attinet, probabilissimum videtur, alimenta in ore masticata & degluta, tum solutione incisoria, tum digestionem, tum attritionem in ventriculo ad pulvis tenuioris consistentiam redigi, adeoque motum ventriculi peristalticum, menstruum salinum, & calorem una cum aere quodammodo clauso & expanso primariis resolutionis causis adnumeranda esse. Principium actionis menstruo tribendum erit: Hoc quippe partibus suis aqueis, & maxime salinis mediae naturae instar aliorum menstruorum alimenta masticata ac deglutita intrat, iisdemque, ceu cuneis per causas externas continuo intimius adi-

B 2

gen.

y) p. 10. thes. 17.

gendis nexum particularum disjungit. Huic deinceps valide succurrunt, & actionem ejusdem promovent motus tunicarum ventriculi peristalticus & calor corporis cum aere in ventriculo contento & expanso. Enim vero mediante motu peristaltico spicula salina menstrui non tantummodo protruduntur, ut infixā altius successive penetrent, sed ipsa quoque alimenta nunc comprimuntur, nunc denuo laxantur, quam actionem vulgo attritionem vocant. Posterior h. e. calor motum, adeoque etiam actionem menstrui intendit, partes alimentorum commovendo quoad nexum laxiores reddit, & aerem ambientem externum in cavitate ventriculi, nec non internum alimentorum poris inhaerentem expandit, ita ut hac ratione prior fortius ab extra premat, posterior vero insigniter rarefactus proruat, alimenta discerpat, atque nexum magis magisque laxet.

§. XII.

Vero hæc consona esse, inter alia exinde adparere poterit, quod singula ea, quæ, uti v. g. acidula, amara, salina mediæ naturæ, aromatica &c. vel menstruum acuunt, vel motum peristalticum & calorem moderate augment, digestionis negotium promoveant, & ea reciproce, quæ contrarium efficiunt, ut terrea, alcalica salina, aquosa, viscosa, mucilaginosa, oleosa, pinguis &c. nimium aut intempestive usurpata, idem retardent, debilitent atque destruant.

§. XIII.

Indicato priori menstrui usu, ad alimentorum resolutionem primario spectante, necesse nunc erit, ut paucis quoque usum posteriorem, qui appetitum per intervalla, h. e. absoluta digestionem, & succo nutritio de-
nuo

nuo distributo, necessario rursus excitandum concernit, attingam. Quo dicenda autem clariora evadant, prænotandum erit, toties ciborum appetitum excitari, quoties fibræ nervæ orificii ventriculi sinistri specificè vellicantur, & impressus specificus hic motus per ramos nervosos paris vagi ad cerebrum defertur, Quum autem omnis vellicatio tanquam effectus necessario materiam vellicantem tanquam causam presupponat, illa quoque investiganda erit: Quam igitur, si in ventriculo circumspiciendo quarimus, nullam profecto materiam aliam, cui hæc actio majori jure in acceptis ferenda esset, reperire continget, quam menstruum ventriculi, & quidem partem ejusdem acidulam volatilem, Quod enim attinet partem aqueam & salinam mediæ naturæ, certum est, illam ad stimulandum inertem existere, hanc vero ob fixitatem nequaquam in vapores commutari, & proinde minime ascendere ac nervos stimulare posse. Quod si vero h. l. principium acidulum volatile vellicationis causam materiale constituitur placet, nullam difficultatem, nullamque repugnantiam aut impedimentum video. Istud enim, quod jam in præcedentibus dictum fuit, subtile, temperatum atque volatile est, & constanter hinc inde in ventriculo oberrans, non solum fibras parietum ad contractionem peristalticam stimulat, sed lenissimis quoque puncturis suis in nervis orificii sinistri specificum motum, cui ad cerebrum continuato in anima dijudicatrice adpetitus, vel famis idea succedit, excitare valet.

§. XIV.

Sed tempus & ordo monent, ut relicto statu naturali ad præternaturalis considerationem progrediar, & corruptio-



ruptionis modos cum medela eorundem breviter quoque expendam. Commodè autem singulas menstrui corruptiones ad duo genera primaria nimirum ad *quantitatem* & *qualitatem vitiosam* referri posse existimo. Quantitas hoc loco in defectu tantummodo peccare valet: Data quippe obstructione glandularum ventriculi & salivalium, vel data quoque penuria fluidi lymphatici in toto corpore, necessario datur nominati liquoris defectus: quemadmodum enim rivulus manare cessat, quando scaturigo vel obstruitur, vel meatus subterranei, qui fonti aquam subministrabant, ex parte exsiccantur, sic liquoris gastrici quoque le- & excretio vel penitus cessare, vel tamen notabiliter imminui debet, quando glandulæ obstructionem passæ humoribus advectis exitum denegant, aut, quod majoris momenti causa videretur, liquoris fecernendi materia vel in toto vel parte deficit.

§. XV.

Obstructionem, frequentem indicati defectus causam, non raro pariunt humores tenaces porulis secretoriis impacti, scirrhescentiæ & compressiones glandularum, spasmodicæ constrictiones vel in toto, quod in febribus solenne est, vel particulares in ore & ventriculo, nec non nimia vasorum sanguiferorum in plethoricis repletio. Quod penuriam feri ac lymphæ autem attinet, illam plerumque produci observamus per motus corporis fortiores, & inde resultantes commotiones ac resolutiones sanguinis excedentes, per abusum medicamentorum evacuantium, v. g. emeticorum, purgantium, sudoriferorum, diureticorum & salivantium, præsertim si æger potulenta in sufficienti quantitate haurire negligit. Silentio pariter hoc loco non præter-

mit-

mittendum est, in illis, qui fumo herbæ nicotianæ ex prava adfuetudine intemperanter utuntur, appetitum ob liquoris salivalis nimiam absumptionem, parum vigere, & digestionem quoque, præprimis, si laudatam herbam statim post passum in fumum vertunt, notabiliter lædi. Adfueti quidem noxam sentire tandem desinunt, illi vero, qui vix peruersam ac noxiam hanc fumum fugendi consuetudinem post passum sectari cœperunt, semper de gravitate ventriculi & anxietate, ceu turbatæ digestionis indiciis conqueruntur. Deducunt quidem nonnulli observatam hanc chymificationis læsionem unice a particulis tabaci narcoticis, cum saliva defluente ad ventriculum delatis: attamen pro meo iudicio multum quoque, imo plurimum defectui salivæ, quam inter fugendum continuo exspuunt, tribuendum erit. Idem mecum sentit B. FASCHIVS in *Dissertatione de Anorexia seu Fame abolita*. 2) *Tabacum*, inquit, *seu Nicotiana per fumum attracta, quantum in fame abolenda præstet, vel milites norunt, utpote quibus in defectu alimentorum loco panis est pro illa sedanda. Lædit vero appetitum, quod per modum incisionis copiosorem salivæ profluxum & excretionem causatur in strenuis potissimum hujus potatoribus. Nec propterea inficias eo, sanæ-sanctam per oleositatem & narcosin etiam operari.* Interdum denique memorati liquoris gastrici defectus causæ evadunt sudores spontanei, frequentiores, nimii & colliquativi, diabetes spuria, diuturniores alvi fluxus, continuæ ferme sputationes in melancholicis quibusdam, lymphæ extravasatio & præternaturalis collectio in variis cavitatibus præsentem hydrope, & hujus commatis alia, quæ singula uberius hic recensere nimis longum foret.

§. XVI.

2) Thef. XV.

§. XVI.

Vitia, quæ circa qualitatem læsam occurrunt, majori ambitu gaudent. Toties autem eandem lædi observamus, quoties proportio naturalis principiorum constituentium tollitur, aut partès a naturali indole desciscentes novam, præternaturalem tamen naturam induunt, aut heterogenea ac peregrina mixtionem ingrediuntur. Proportio læditur, quando partes gelatinofo-aquosæ tenuiores, quæ reliquis vehiculum ac basin præbere debent, vel deficiunt, vel nimium abundant. In casu priori menstruum spissius, adeoque ad alimenta penetranda ac solvenda ineptum evadit, in casu posteriori vero ob vehiculi aquosi excessum & partium salinarum debilitationem nimiam iners redditur, & proinde æque ut in statu priori alimentis resolvendis & fibris ac membranis irritandis impar existit. Non mirandum igitur erit, si præsentè alterutra depravatione appetitus imminutio aut plenaria abolitio, nec non imperfecta, ac vitiosa adsumtotum resolutio, qui morbi sub Dysorexix, Anorexix, Apepsix, Bradypepsix nominibus Medicis noii sunt, enascantur.

§. XVII.

Natales atque originem prius vitium mucositas videlicet seu spissitudo, quam hoc loco in partium diluentium defectu solummodo consistere adfirmavimus, debet singulis iis, quæ §. 15. tanquam causas defectus menstrui in genere adduximus; posterius vero h. e. principii aquosi excessus & inde enata nimia menstrui tenuitas a potulentis, præsertim aquosioribus copiosius haustis, nec non ab imminutione ac suppressione excretionum serosarum naturalium v. g. urinæ, materiæ transpirabi-

rabilis atque sudoris deducendum erit. Non penitus quoque negari poterit, præternaturalem glandularum ventriculi & salivalium relaxationem symbolum suum quandoque ad superfluum liquoris gastrici se- & excretionem conferre.

§. XVIII.

Eadem ferme ratio, iidemque effectus notantur, quamprimum partes acido-salvæ sui defectum ostendunt. Quilibet enim statim videt, præsentem harum penuriam, per diluentium, oleosorum, absorbentium & maxime alcalicorum abusum inducta, præsentem esse inertiam menstrui, adeoque & appetitus & digestionis imminutionem. Quod si e contrario laudatæ partes salvæ & acidulæ nimium exsuperant, quemadmodum id nonnunquam post iusto largiorem ac frequentiore acetariorum, vini acidiusculi, liquorum fermentantium dulcium, lacticiniorum atque similibus adsumtionem, post tristitiam atque mœrorem diuturniorem, nec non in febribus continuis, præprimis quartana, scorbuto frigido, malo hypochondriaco &c. fieri observamus, menstruum solito ac iusto acrius redditum ventriculi tunicis molestum evadit, & nimiam non tantummodo famem, quam bulimum seu famem caninam vocant, excitare, sed post ingestorum quoque resolutionem ventriculi fibras ac tunicas vellicare & arrodere solet, unde non raro dolores ac spasmi cardialgici, imo vomitus & huiusmodi ægri tudines aliæ enasci consueverunt, idque adhuc magis, quando acidum præternaturaliter auctum a naturali subtilitate ac volatilitate desciscens fixius redditur, & tunc ob majorem partium rigiditatem, vim
C
quan-

quamdam causticam monstrat, & decantatam cruditate acidam, de qua statim in subsequenter pluram dicendi occasio erit, producit.

§. XIX.

Hactenus memoratam menstrui depravationes adhuc relative leviores esse videntur. Majora quippe damna corpori inferri animadvertimus, quando menstruum a naturali indole successive desciscens, aut plane peregrinis mixtum cruditate vel *acida*, vel *biliofa*, vel *nidorosa*, vel *pituitosa* laborat. Cruditatem acidam voco, quando partes acidulæ volatiliores ac naturales liquoris gastrici maxima ex parte fixiores evadunt, & multum insuper acidi fixi peregrini iisdem miscetur. Ansam hujus cruditatis genesi subministrant abusus acidorum & facile acescentium. v. g. panis viscosioris & crudioris, carni-um in aceto diutius maceratarum, brassicæ muriaticæ, cucumerum sale vel aceto conditorum, fructuum horæorum, acidorum, cerevisiæ minus defecata, a) vini recentioris tartaro crudiori nondum liberati, & similia, nec non circulus humorum languidior & hinc inde in visceribus infimi ventris impeditus in mœrentibus, hypochondriacis, hysteriacis, scorbuto frigido, aliisque morbis laborantibus.

§. XX.

Comites hujus cruditatis ac testes vulgo censentur ructus acidi copiosiores, sôda, inflatio atque gravitas ventriculi, flatus, respiratio difficilis, & appetitus vel prostratus, vel interdum contrario plane modo plus justo auctus. Lac adsumtum per acidum in ventriculo præ-

a) Conf. I. W. Pauli Dissert. de Anorexia 1696. Lipsiæ habita, §. 10.

præcipitatum, gravitatem & anxietatem præcordialem infert, alvus sæpe segnitie & contumaci obstructio-
ne laborat, & rejecta per vomitum, sive spontaneum, si-
ve per emetica excitatum, plerumque crassa, viscida, te-
nacia ac graveolentia sunt, interdum serosiora plus mi-
nusve acida.

§. XXI.

Altera cruditatum species primaria, sub *pituitosa* no-
mine nota, merito distinguenda erit in *simplicem* & *com-
positam* sive *mixtam*. Illa solummodo saburram crassam
viscidam ex alimentis, crudis, viscosis, glutinosis non
fatis digestis, & in liquamen pituitosum nullo tamen
acido fixo mixtum resolutis enatam: hæc vero similes
reliquias mucosas acido fixiori coagulante imprægnatas
innuit. Utriusque productioni & augmento, præter
alimenta crassa ac viscida, multum favent debilitas ven-
triculi & caloris, inertia menstrui, nimis parca potulen-
torum adsumtio, mæror, tristitia, otium nimium, &
maxime addephagia, quid? quod ipse aer humidus &
corruptus non penitus e causarum numero hoc loco ex-
terminandus erit. Placent illa, quæ B. MAVRITIVS
HOFFMANNVS de noxa ejus in *Dissertatione de Anore-
xia* ad dicta confirmanda profert: *Aer, scribit, si sale uni-
versali rite imprægnatus & bene dispositus fuerit, valde ami-
cus est nature nostræ, fermentationem vitalem conservando,*
(loquitur autem maxime de fermentatione in ventricu-
lo peragenda.) - - - *Quodsi autem sal aeris universale ab
activitate sua defecerit, ob particulas alias heterogeneas, aquo-
sas, crassas feculentasque plurimas interfusas, tunc non tan-
tum massæ sanguineæ fermentativæ partes mirum quantum de-
perdunt de sua activitate, ejusdemque ventilatio non parum*

quoque imminuitur, unde torpor totius corporis, reliquarumque machine nostræ hydraulico-pneumaticæ languor ac stupor succedit: Sed & ipsum ventriculi fermentum, mediante saliva ab aere proxime adulterata, corrumpitur, & inappetentiæ occasionem subministrat. b)

§. XXII.

De præsentia laudatæ cruditatis præ cæteris testari videntur prostratio appetitus, graitas ventriculi, præsertim post pastum, & vomitu suborto, rejecta viscosa ac pituitosa, imo si acidum in simul mixtum existat, singula quandoque symptomata, quæ in præcedentibus inter cruditatis acidæ, in hoc passu parum ab acido pituitosa distinctæ, signa rerulimus, observantur: semper quoque in hac & reliquis cruditatum speciebus ad prægressam diætam, aliæque, quæ causarum occasionalium censum subeunt, respiciendum erit, ut indoles præsentis cruditatis paulo penitus cognoscatur.

§. XXIII.

Cruditas *biliosa* frequentissime enascitur in subjectis cholericis ad iracundiam proclivioribus. Sub iracundia enim bilis facillime e cystide fellea, per spasimum constricta, expellitur, & expulsa cum impetu ventriculi cavitati infunditur, ibidemque cum menstruo ventriculi mixta nominatam cruditatem biliosam producit, eamque pro menstrui jam præsentis qualitate vel puram ac tenuiorem, vel acido aut pituitoso aut nidoroso *biliosam*. Ansam quoque nonnunquam & genesi & augmento hujus cruditatis præbent in dispositis aer calidior & siccior, alimenta ac potulenta amara, acria, aromatica, calida, spiritiosa & similia. Cognoscitur de cætero hæc crudi-

b) p. 8. §. 7.

cruditatis ex ructibus amaris, imo liquore tali quandoque in os eructato, sapore amaricante salivæ, anxietate & morficatione ventriculi, fastidio ciborum, & maxime ex illis, quæ per vomitum rejiciuntur, & pro distincta cruditatis biliosæ qualitate, colore, modo aruginoso, modo vitellino, aut isatode, porraceo, fusco, aut atro tincta notantur.

§. XXIV.

Ad biliosam cruditatem nonnulli tanquam speciem referunt cruditatem *nidorosam*, eamque resultare credunt, quando bilis cum putridis alimentorum reliquiis in ventriculo miscetur: Attamen pro mea sententia hæc cruditatis peculiaris & primaria quoque species statuenda erit, licet, non audeam negare, illam quandoque mixtam, & quidem interdum bilioso-nidorosam existere. Hinc consultius quoque videtur, eandem distinguere in simplicem & mixtam, quarum prior ex alimentis in putrilaginem abeantibus, posterior vero ex putrida hac saburra cum bile corrupta, aut acido fixo mixta oritur.

§. XXV.

Primordia nidorosa cruditatis debet nimiam alimentorum corruptibilium, putridorum, verminosorumque vario modo inquinatum, nec non pinguium assatorum, v. g. lardi, ovorum ac piscium butyro frixorum, placentarum, ut & melonum cum saccharo, & cucumerum cum multo oleo adsumptioni. c.) Nec minus ventriculi debilitas, aliaque, quæ digestionis opus turbare valent, symbolum conferre videntur.

C 3

§. XXVI.

c) Conf. D. D. Ioh. Wilhelm. Pauli loc. cit. §. 10.

§. XXVI.

Nidorosa cruditate laborantes frequentissime conqueruntur de adsurgentibus fœtentibus ac horridis ructibus, similibus iis, qui post ova frixa aut martialia adsunta prorumpere solent, & tempore matutino saporem peregrinum & nauseabundum, quandoque insimul amarulentum in ore percipiunt. Alvus plerumque plus solito aperta est: eaque quæ naturæ instinctu, vel medicaminum ope per vomitum exturbantur, sunt corrupta, nunc livida, nunc subflava vel saporis putridi instar ovorum putridorum, vel amaricantis, vel ex amaro-dulcescentis, vel insipido-dulcis. Sentiant præterea sitim, interdum ferme insatiabilem, nauseam, appetitum prostratum, rugitus & horborygmus ventris, imo non raro respirationem difficilem, aliæque incommoda, quæ tamen pro cruditatis hujus, si mixta existit, discrepantia variare consueverunt.

§. XXVII.

Ex hætenus recensitis menstrui ventriculi depravationibus, tanquam ex hydra Lernæa, mille morborum & symptomatum, quæ, teste CASPARO GIGANTE *d)* totum corpus exitiosissimis exercent ærumnis, prodeunt monstra. Proxime quidem exinde tantummodo appetitus & digestionis læsiones, quæ dysforexiæ, anorexiæ, apepsiæ, pradypepsiæ, dyspepsiæ, bulimi s. famis caninæ, picæ ac malaciæ nomina gerunt, enascuntur: Quod si vero illæ ipsæ incrementa capiunt, aut sanguini ac reliquis corporis humani partibus communicantur, innumeras ferme ægritudinum species v. g. vomitus, cardialgiam, colicam, choleram, lienteriam, cœliacam, diarrhoe-

d) in Præloquio Diss. de Cholera,

rhœam, dysenteriam, singultum, sodam, obstructionem
 vaforum meseraicorum & inde enatam atrophiam cum
 ventris duritie atque intumescencia, febres intermit-
 tentes & continuas, passiones hystericas & hypochondriacas,
 hydropem, adfectus scabiosos & singulos ferme morbos
 chronicos, nunc proximius, nunc remotius gignunt, aut
 tamen fovent.

§. XXVIII.

Expositis causis ac signis depravationum liquoris
 gastrici, nec non breviter indicatis præcipuis morbis
 exinde resultantibus, sine mora curationi insistemus, &
 ea, quæ corruptiones tollere, & menstruum deprava-
 tum ad statum naturalem reducere valent, trademus. Pri-
 mo loco, ut ordinem, quem in explicandis pathologicis
 elegi, retineam, curandus venit defectus menstrui in
 genere, quem a penuria lymphaticæ ac serosæ humidi-
 tatis in universo corpore, vel a glandularum miliari-
 um in ventriculo, & salivalium obstructione proficisci
 adfirmavi. Si a priori, largior potus, aliaque diluentia
 commendanda, & singula ea removenda erunt, quæ cor-
 pus humido seroso ulterius depauperare valent; Quod si
 vero obstructiones glandularum obicem ponunt, aperi-
 entibus, quæ insimul incidunt, ac leniter irritant, ut sunt
 salina mediæ naturæ, nec non acria mitiora, iisdem con-
 trahendum est. Non inutile quoque erit, leniora interdum
 masticatoria, quæ largiorem salivæ adfluxum & ef-
 fluxum procurant, ordinare. Probe tamen notari de-
 bet, salivam tunc temporis non ejiciendam, sed semper
 deglutiendam esse; alias enim masticatoria loco mede-
 læ majorem noxam inferunt.

§. XXIX.

§. XXIX.

Menstrui nimia aquositas ut plurimum fundamentum suum habet in defectu partium salinarum, præprimis acidularum hic optime quoque emendatur per restitutionem partium deficientium: in quem finem præ cæteris commendari merentur salina media & acidula, v. g. pulveres ex tartaro vitriolato, arcano duplicato, tartaro tartarificato, sale mirabili Glauberi, sale digestivo Sylvii, terra foliata tartari & sale acetosellæ, nec non cremore & crystallis tartari, majori dosi salibus mediis prædictis additis. Nec laude sua defraudanda sunt acidula liquida vel per se sub forma tincturarum & spirituum, vel potiunculis aut potulentis mixta, exhibenda, v. g. spiritus salis, nitri & vitrioli rite dulcificati, clyffus antimonii sulphuratus, succus citri, tinctura coralliorum cum succo limoniorum parata, elixirium proprietatis cum spiritu vitrioli, nec non tincturæ acidulæ bellidis, papav. rhæad., violar. & similia. Laudata ex parte quoque locum in corrigenda simplici spissitudine menstrui, tum a defectu principii aquei diluentis, tum ab excedente copia & concentratione ingredientium terreo-mucilagineorum dependente, inveniunt.

§. XXX.

Non adeo longe pariter ab hisce recedit curatio cruditatis pituitosæ. In pituitosa solitaria enim mucositate ex indigestis alimentorum reliquiis genitarum resolutio suscipitur per salina incidentia indicata, tum explicita, tum implicita v. g. salia media, salia fixa amara ex centauro minori, abinthio, fumaria, scordio, C. B. &c. cum acris & aromaticis mixta v. g. cinnamomo, succino, pulvere rad. irid. Florent., ari ppt., ambra &c. Hisce partim jungenda, partim seorsim interponenda

da

da sunt resolventia mercurialia, diluentia, diaphoretica, & roborantia stomachalia v. g. cinnabarina, imo ipse mercurius dulcis pillulis mixtus, nec non decocta, infusa & tincturae ex rad. farsap., chinae, cichor., gent. rubr. trifol. fibrini, helen., diptam. albi, zedoariae, galangae, imperat., levist., pimp. alb., angelicae, herb. C. B., fumariae, ruthae, absinth., hed. terrestr., melissae, summit. cent. minor., flor. cham. Rom., sem. anisi, fœniculi, zedoariae, cort. citri, aurant., cassiae caryophyll., costi veri, cinnam., chaccarill., rhabarb., mace, lign. sassifr., decoctum coffeae & sic porro, nec non tincturae & essentiae succini, antimonii acris, ambræ, myrrhæ, absinth. compos., elix. P. P. Paracelsi, essent. carminat. Wed., & elix. viscer. *Illustr.* HOFFMANNI, it. pilulæ ex extractis amaris, g. ammoniaci, benzoe, galbano, sagapeno, mastiche, extract. rhabar., balsam. Peruvian: & hujus generis aliis, cum mercurio dulci, & pulverulentis aromaticis mixtis concinnatæ, nec non pillulæ BECHERI, polychrestæ *Illustr.* HOFFMANNI, STAHLII &c. Laudem quoque merentur elæosachara ex saccharo Canariensi & oleo cinnamomi, de citro Ital., melissæ, caryophyllorum parata, & post pastum usurpata.

§. XXXI.

Hiscæ, præsertim salinis incidentibus ad tempus assumtis, & viscositatibus paululum resolutis, evacuantia emetica aut purgantia, præsertim ex rad. ipecacoanhæ, rhabarbaro, extracto cathol., panchymagogo Crollii, sale amaro Sedlicensi & aloe in usum vocanda sunt, ut saburra impura & mucosa penitus eliminetur, eorundemque usus pro re nata per intervalla reiterandus est. Quo factò, curatio per supra laudata roborantia sto-

D

ma-

machalia & juncta aut interposita acidula, quæ menstruum iners denuo erigere debent, continuanda & ad finem perducenda erit.

§. XXXII.

In cruditate acida & acido-pituitosa, præfatis, quæ in illa, æque ac in simplici pituitosa locum inventiunt, absorbentia & antacida jungenda sunt, v. g. lap. cancror. ppt., mat. perlar., conchæ, CC. ust., terræ sigillatæ teneriores, crySTALL. mont. ppt., croci martiales, antimonium diaph., bezoar. minerale, alcahest Glauberi & oleum tartari per deliquium decoctis & infusis addita, tinctura antimonii tartarisata, tincturæ martiales, spiritus CC. succinatus, salis ammoniaci vinosus, flores salis ammoniaci & hujus generis alia, quo acidum fixum & coagulans destruat, & hac ratione reliqua menstrui principia naturalia libertati, ac tota digestio, facta cruditatis emendatæ per purgantia evacuatione, pristinae integritati restituatur.

§. XXXIII.

Ad cruditatem biliosam emendam, seu optima & selectissima, commendantur acidula, §vo 29. jamdudum recensita, nec non salia media incidentia; priora enim non tantum bilem corruptam & præternaturaliter in ventriculo collectam corrigunt, sed menstruum quoque denuo acuunt; posteriora vero maxime saburram mucosam, ut plurimum bile corrupta mixtam, resolvunt ac fluidam reddunt, ut deinceps per emetica & leniora laxantia, post debitam præparationem demum exhibenda, eo melius e corpore excludi queant.

§. XXXIV.

In cruditate denique nidorosa, solitaria ac simplici, quæ

quæ putridorum collectionem præsupponit, præmissis aliquot pulveribus digestivis, aut aliis medicamentis resolventibus, balsamicis moderate maritatis, illico de coluvie corrupta ac putrida, per vomitoria, ac purgantia, miora tamen & parca insuper dosi exhibita, eliminanda, cogitandum est, quo pharmaca stomachalia roborantia & balsamica, ad plenariam putrilaginis destructionem, & roboris ventriculi reductionem deinceps usurpanda, vires suas cum majori efficacia ac sine remora exserere valeant. Quod si vero massa putrida cum bile corrupta mixta, adeoque composita existit, præmittendis resolventibus ac præparantibus acidula jungenda, & post mitissimorum quoque evacuantium usum appropriata miscenda & addenda erunt, ut specificæ impuritates specificis suis antidotis subigantur: id quod in genere circa omnem aliam cruditatem mixtam aut compositam in curatione notari meretur.

§. XXXV.

Hactenus recensitis cruditatum & menstrui depravati remediis pharmaceuticis legitimo sex rerum non naturalium usu subveniendum, adeoque in hunc finem ea interdicens, quæ locum inter causas occasionales, suo loco indicatas, obtinent, & illa e contrario ordinanda ac præscribenda erunt, quæ natura non solum perferre tunc temporis valet, sed medicamentis quoque manus auxiliatrices præbent, & vires suas ad morbum expugnandum conferunt. Quo factò, haud dubitandum erit, quin vitii memoratis, ceu causis sublatis, digestionis atque appetitus integritas Deo benedicente reditura sit.

TANTVM.



Was Haß und Vorurtheil als ungerimt getadelt,
 Das wird von Fleiß und Zeit, Verstand und Glück geadelt:
 Die ersten drey sind da; und triffe mein Wünschen ein,
 So wird das Vierte D^M in kurzen günstig seyn.
 Durch dieß stättete seinen Glückwunsch ab
 ein wohlbekanter

Freund. D.



Wein Püschel lebe wohl! ich reise zu den Meinen;
 D^R wird nach kurzer Zeit auch dieser Tag erscheinen.
 Ich wolte D^JE^H zwar gern auf den Catheder sehn,
 Doch weil ich von D^M muß, kan solches nicht geschehn:
 Indessen heist die Pflicht mich meine Schuld entrichten
 Und in der Kürze noch auf einen Glückwunsch dichten.
 Der Höchste sey mit D^M hinkünftig allezeit,
 Er segne D^ER^ME Hand bey Kranken fern und weit,
 Und wolle D^EJ^ME^D Fleiß mit Ruhm und Ehre erlönen:
 So wird der Fama Schall D^EJ^M holdes Lob erkönnen.
 Und hiermit lebe wohl! die Post ist schon befall't;
 G^DE^L spahre D^JE^H gesund so lang es Ihm gefäll't.
 Dieses schrieb kurz vor seiner Abreise dem Herrn
Doct.orando zu stetem Andencken

Christ. Theodorus Wachter,
 Medic. Doctor.

Wie so? Gelehrter Freund! wie? wilt DU von was ziehen?
 Und in dem Saal: Alken D^JE^H weiter nicht bemühen?
 Ja, ja, es ist dein Ernst; der Abschied wird gemacht:
 Warum? DU hast es hier in kurzen weit gebracht.
 Deswegen laust DU auch nach embsigen Studiren
 D^Unnuehro höchst gewünscht mit Ruhme promoviren;
 Hygea winket D^M auf unsern Helicon,
 Und daselbst giebt sie D^M den längst verdienten Lohn.
 Drum eil' und säume nicht nach Schlesien zu reisen,
 Und manchen Kranken dort D^JE^H hülfreich zu erweisen.
 G^DE^L lasse D^M es stets nach Wunsch und Willen gehn;
 Und D^EJ^ME^D ächten Ruhm bis an den Weltbruch sehn.

Durch diese wenige Zellen wolte sich dem Herrn
Doct.orando bestens recommendiren.

Johann Cybraim Schenke,
 Lignicenf, Siles. Med. Cand.

)o(









Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

NATVRALI AC PRÆ-
TERNATVRALI MEN-
STRVI VENTRICVLI
CONSTITVTIONE

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

Ad d. Octobr. Anni M DCC XXXVI.

PVBLICE ERVDITORVM

EXAMINI SVMMITTET

AVCTOR ET RESPONDENS

GOTTLIEB PÛRSCHEL

VRATISLAVIENSIS

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

26
1736
13

[Red scribble]

166.